Non sic impii / Ampla est ista negatio et tam ampla quam fuit affirmatio omnis su-
perioris [illegible] quia impii non beati non viri. Non voluntas eorum in lege domini. Nec meditantur
in lege eius [illegible]. Nec sunt lignum plantatum secus decursus, quod fructum suum dat in
tempore suo. Nec efflorescunt quemadmodum fuerunt. Desyderium enim peccatorum peribit. Quid ergo?
Non sic sunt impii Sed tanquam pulvis / pulvis enim non habet radices, nec potest plantari.
Sic nec ipsi voluntatis radicem in lege. Sed est terra comminuta et ad nihilum redacta et ab ipsis
ideo enim vilissimum omnium eos vocat, quia comminuti sunt et vilissimi omnium facti. — ut abiectior omnium facta.
Abdias — Sic per Abdiam dicit: ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde.
Unde et ipsi quidem faciunt fructum sed tempore non suo, immo prorsus importuno opera legis
sed tempore gratiae quae non est tempus talium operum. Unde et Abdias: Non est prudentia
in eo. Sic non secus decursus sunt aquarum. Quia posuit stagna in sitim et
terram fructiferam in salsuginem a malitia habitantium in ea. Sic folium eorum
defluit. Ut Isaie 1. Cum fueritis sicut quercus defluentibus foliis et velut hortus
absque aqua. Quia quae recte docent eas falsa commiscent. Omnia quae faciunt
non prosperabuntur sed omnia quae ordinant frustra ordinant. Quem proicit ventus
a facie terrae / Ventus est impetus irae dei et spiritus furoris eius quem fecit in
Romanis per quos dispersit eos et proicit a terra sua usque in hodiernum diem. Quia
de terrae facie scilicet superficie Iudeae omnes sunt expulsi. Validio isto vento irae dei
ipsi autem ut infirmissimus pulvis sine virtute resistendi fuerunt. Et bene pulvis quia
sicut pulvis est terra minutim divisa et nulla parte sibi cohaerens: Ita hic ipsi fuit
maxima et intima dissensio inter Iudeos et nulla cohaerentia aut concordia
ideo dispersi sunt. Divisum enim fuit cor eorum ideo nunc peribunt.
Eodem modo Mystice Tentationis ventus proicit de statu et possessione sua percussa
superbos singulares discordes etc. Quia sicut [illegible] sicut [illegible] firma / ita
[illegible] est sic nullus lapis super lapidem. Ut sint pulvis super faciem terrae.
Ideo non resurgent impii in iudicio / Non dicit in die iudicii sed in iudicio.
Iudicium autem nunc est mundi, licet nondum revelatum quod fiet in die. Iudicat ergo deus nunc
populos in equitate, discernens per gratiam suam bonos a malis. Et transfert eos de tenebris
in admirabile lumen suum, dividens lucem a tenebris. In hoc iudicio non resurgent
resurrectione prima spiritus animae quae figura et causa est resurrectionis Christi. Sic theologizat
in multis locis Apostolus. Sed non iudicii in isto iudicio resurgent. Quare? quia nolunt. Quia
[illegible] se in peccatis et iustificant semetipsos. Est autem multiplex iudicium. Primo passivum
quo a deo iudicamur scilicet separando de medio malorum. Et hoc iterum corporis fit per disciplinam
et castigationes. Item animae autem per gratiam. Sic Apostolus: Cum autem iudicamur a domino corripimur
ut non cum hoc mundo condemnemur. Secundo quo nos ipsos iudicamus. hoc fit
seipsum accusando et confitendo peccatum suum. Quo agnoscimus quod digni sumus poena et
morte. Sic Ro 2. Qui iudicas eos qui talia agunt [illegible] eadem facis quae iudicas, i.
agnoscis et discernis malefacta et non facienda: Taliaque in nobis agnoscentes et pro
eis poenam nobis inferentes exercemus iudicium in nobis. Non ergo resurgent impii
in iudicio. Neque peccatores in concilio iustorum scilicet iudicis in coetum Christianorum qui sunt
soli iusti a solo iusto domino nostro Ihesu Christo. Quoniam novit dominus viam iustorum
Quia amen dico vobis nescio vos ad impios. Novit ergo quia placitum est ei in illis. Sed
Iter impiorum peribit / [illegible] quia displicet illos deus [illegible] in secula. Amplius
Iudicium [illegible]
[illegible]

ut sic se iustificant